

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

factus sum, ut omnino aliquos facerem salvos, 1. Cor. 9. v. 22.

Piscatores habent *piscinas suas*, in quibus captos tamdiu servant, & cibant, dum ad usum adhibeantur. Sic & præcones & verbi ministri spiritualem suam piscinam habent. quæ est Ecclesia, in quam statim per baptismum suscipimur, & conveniente animæ cibo affatim reficimur, dum nos Christus è terrena hac militantis Ecclesiæ piscina in cœlestem Hierusolymam introducat.

Quemadmodum enim *piscines boni magni estimantur*, & non facile in casis rusticorum: sed in magnatum mensis apponuntur, & comeduntur: mali vero abjiciuntur, Matth. 13. v. 48. Sic in consummatione sæculi exhibunt angeli, & separabunt malos

de medio justorum pisces malos abjicient, ut abominatio sint omni carni, Esa. 66. v. ult. Bonos vero servabunt ad cœnam magnam ubi cum Abraham, Isaac & Jacob in regno cœlorum accubemus, Matth. 8, 11. Tum apparebit quid sit, inter pisces bonos & malos, inter fervientem Deo, & non fervientem ei. Malach. 3. vers. ult. Impios enim Dominus à se ablegabit in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus: Justos vero introducet in vitam æternam, Matth. 25. v. ult. ubi abundantia gaudiorum cum vultu ejus, & delectationes in dextera ejus usque in æternum, Psal. 16. v. ult.

Largiatur id nobis Deus triunus per Christum Servatorem nostrum Amen.

In die festo B. Thomæ Apostoli.

Evangelium, Ioh. 20. v. 24. -- 29.

EXORDIUM.

CUm Naas Ammonites castra metatus esset, adversus oppidum Israeliticum, quod vocatur Jabes-Galaad: cives ejusdem civitatis illi se dedit & servire voluerunt. Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut *etiam omnium vestrum oculos dextros*, ponamque hoc opprobrium in universo Israel. Miserunt ergo cives ad Regem Saul, ut succurreret sibi. Qui convocato populo Israelitico, ad internecionem percussit Ammonitas; reliqui autem

dispersi sunt ita, ut non relinquerentur in eis duo pariter, 1. Sam. 11. v. 1. seqq.

Hæc mysticè interpretabimur.

Creavit Deus hominem ad imaginem suam, & *duobus oculis* ornavit, quibus mundum contemplare potest: sed & *duos internos oculos* eidem dedit, nempe *oculum rationis*, & *oculum fidei*: altero, quæ ad hanc terrenam vitam: altero, quæ ad æternam vitam spectant, conspiciat. Oculus rationis in divinis claudendus: oculus vero fidei aperiendus est, & Christum contueri, ejusque bene-

beneficiis frui velimus. Quemadmodum enim Israelitæ, qui serpentem æneum adspexerunt, à morfu serpentum ignitorum laniati sunt, Num. 21. v. 8. Pari modo, si & nos oculis fidei Christum intuemur, passionem & mortem ejus nobis applicamus, medicinam capimus, adversus morsus & vulnera, quæ ab infernalibus ignitis serpentibus accepimus, ut Christus ipse sibi applicat, Joh. 3. v. 14. 15.

Si oculis corporalibus aliquid videre velimus, requiritur: primo, lumen internum quod sunt spiritus lucidi, quos anima in corpore habitans, oculis communicat. Secundo, lumen externum, quod à Sole per aera in oculos decedit, nec oculum modo: sed & objecta visus, illuminat. Sir. 43. 4. Ita si oculo fidei mysteria cœlestia videre & cognoscere volumus, non modo externum verbi lumen Psal. 19. v. 9. sed & internum lumen spiritus requiritur, quod Sol justitiæ Jesus Christus nobis communicat, Mal. 4. v. 2. quando nobis dat illuminatos oculos cordis nostri, Eph. 1. v. 18. ut in luce verbi cernamus æternam veram lucem, in qua tenebræ non sunt ullæ, 1. Joh. 1. v. 6. Hoc plurimi refert, correlata enim sunt. Veluti igitur oculi Domini respiciunt fidem, Jer. 5. v. 3. sic vice versa oculi fidei respiciunt ad Dominum, Psal. 25. v. 15. Et ut oculi fidei Dominum: sic oculi Domini fidem intuentur, hinc cœlestis sponsus: Rapuisti cor meum, soror mea sponsa in uno oculorum tuorum, Cant. 4. 9.

Quemadmodum v. Nahas Ammonites civibus in Gabes Galaad, oculos dextros eruere voluit: Sic & infernalis Nahas, qui est diabolus, id machinatur, ut nobis oculum dextrum fidei eruat. i. e. salvificam Christi agnitionem auferat, ne fulgeat nobis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, 2. Cor. 4. 4.

sed palpemus, quasi in tenebris, Job. 12. ult. & in fovæam æternæ damnationis cadamus, Luc. 6. v. 39.

Idem Thomæ Apostolo accidit, quem fatanas ad eo occæcaverat, ut resurrectionem Dominicam in dubium vocans expresse dixerit: Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum &c. Tandem v. ne infernalis Nahas dextrum fidei oculum plane ei erueret, per Christum è tenebris in hædelitatis liberatus est: ut ipsum Evang. memorat.

Nos sine ulteriori præloquio ad id accessum faciemus, consideraturi:

I. Ἀποστολογίαν, sive notitiam nostri.

II. Χριστολογίαν, sive notitiam Christi.

J. J.

Exegetis.

Sapostolus Thomas, cujus memoria hodie in ecclesia celebratur, cognomine Didymus vocatur. Utrum igitur cognomen fuerit, quasi Romanus usitatum fuit, ut aliqui Spurii, Crassi, Claudii cognominati, qui tamen tales non fuerunt sive Thomas reapse geminus fuerit, de eo in scriptura nihil existat. Theophylactus allegoricam interpretationem quarit, & dicit, vocari illum Didymum, ratione animi ambigui. Erat enim ἀμφὶ δίδυμοι, qui discipulis reliquis, resurrectionem Domini affirmantibus credere nolebat, dum ipse Christus se ipsi redivivum exhiberet, & ostensione vulnerum, & vestigiis clavorum resurrectionem suam confirmaret: quo ipso se collegit, dicens: Dominus meus, & Deus meus, ut Evangelium pluribus indicat.

Ἀποστολογίαν discemus, si consideramus:

1. Apostolorum congregationem. Per mortem enim ignominiosam Domini & Magistri sui in magnam animi perturbationem coniecti, verebuntur, ne à Pontificum mini-